



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mundus Aspectabilis Philosophice Consideratus

Falck, Joseph

Augustae Vindelicorum, 1740

§. VII. An detur materia subtilis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95848](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95848)

te minùs premitur; eo ferè modo, quo si operculum vasis in medio perforatum trudas deorsum, aqua in vase per illud saliet; & hoc sine metu vacui, quod vel ex eo patet, quia si ultra 33. pedes embolus attollatur, aqua non ascendet; si verò sit oleum, ascendet adhuc altiùs. Cui autem cordato homini venire potest in mentem, hæc fieri metu vacui? unde enim talis præcisè, aut tam diversus diversis in liquoribus vacui metus? Sed ea est multorum miseria, ut ea negent, quæ non usurpant oculis, vel palpant manibus: quia aërem non ita vides & palpas, non credis; Auctor igitur tibi sum cum Boilio, ut huiusmodi experimenta facias in aqua, & limpido terebinthi oleo, ita ut oleum, aquæ incumbens sit locò aëris, videbis profectò, quomodo aqua intra oleum per tubum ascendat, eoque altiùs, quò plus olei super aquam infuderis, dicemùsque: si non vis nobis credere, crede tibi.

2. Folles clauso ostio non facilè aperiuntur, quia nempe removendus esset aër undique incumbens, prout removenda esset aqua, si in illa aperirentur: si tamen apertum sit orificium, instantur facilè, quia quantum aëris à tabellis propellitur, dum elevantur, tantum per orificium subit. Eodem modo explicatur, quomodo per respirationem & inspirationem tradamus & recipiamus aërem intra pulmones, qui dici possunt folles vitales. Hinc explicatur suctio, ascensus olei per ellychnium versùs flammam, ubi minùs premitur.

3. Habes rationem omnium Syphonum, qui ad simplicem reducuntur, & est tubus inflexus uno crure longior, illi ferè similis, quo utimur in transferendo è dolio in dolum vino: si enim vasi aquâ pleno immergas crus brevius, & per longius ex fugas aërem, aut aliter syphonem aquâ priùs impleveris, fluat illa, donec exhaustum sit vas totum; quia nempe, licet aër utrumque orificium premat, cum tamen pondus aquæ in crure longiori majus sit, aër ex ea parte premens debet cedere, alio ex altera parte vincente, & aquam sursum pellente. Hinc etiam si tubum habeas aquâ plenum, & obtures digito foramen superius, aqua non effluet; neque enim potest fluere, nisi aërem removeat; hoc autem non potest, nisi tubus 33. pedibus altior sit. Si verò digitum amoveas, aqua statim defluet, quia suo & aëris incumbentis pondere vincet aërem inferius resistentem. Hinc habes, cur è dolio pleno per foramen inferius non egrediatur vinum, nisi aliud fiat superius. Atque ex jactis hucusque principiis sexcenta alia explicabis huiusmodi experimenta, quæ passim apud Philosophos R.R. legere est.

§. VII.

An detur materia subtilis?

CARTESIO hac in parte assentior lubenter admittendo materiam, quam ille subtilem, alii auram ætheream, Universi spiritum alii, alii alio nomine consueverunt appellare: nec aliud per quintum suum elementum Stagyrta voluit; sique eruditissimo Gassendo fides est, hodierna ætate nemo ferè eorum, quibus amœnior philosophandi ratio probatur, ab isto dissentit. Auctoritati multiplex accedit ratio. 1. enim si invertatur tubus, quamvis longissimus, & annexam habeat superius ampullam capacissimam, si, inquam, invertatur talis tubus mercurio plenus, postquam hic ad consuetam altitudinem decidit, non potest explicari, quid supersit in parte tubi superiore, nisi admittatur materia quædam subtilis, quæ facillimè per vitri poros ingrediatur, aut egrediatur, ut mer-

A a

curio

curio vel viam faciat in ascensu, vel in descensu illius locum occupet: dicere enim, quod superfit aëris bullula, quæ ad libitum excrecat in immensum, & iterum contrahatur ad punctum, commentum est omni ratione & experientia destitutum.

2. Quia omnes fateri debent, immensum illud spatium, in quo sunt sydera, materia quadam repleti: non crasso aëre nostro, tum quia eò subtiliorem experimur auram, quò ascendimus altius, tum quia nullam ad nos reflectit lucem, uti tamen reflectit nostra atmosphæra, tum quia minùs esset aptus ad influentias cælestes intimè quaquaversum transvehendas: ergo subtilior debet esse materia, quæ quia simul est fluidissima, se intra aërem nostrum, & per omnium corporum poros insinuat, eo ferè modo, quo aër noster eò penetrat, ubi aditum invenit. 3. Ratio petitur à subtilissimis corpusculorum effluviis quaquaversum penetrantibus, qualia sunt magnetica, sympathetica &c. de quibus superiùs: ab evaporatione spirituum etiam per vitra crassiora optimè clausa: à vi penetrativa corporum etiam durissimorum, uti colorum intra marmor, ceræ liquatæ in intimos corallii sinus &c. Plura vide apud Boilium, de Lanis aliòsque RR. qui multis probant, & dari in corporibus poros, & materiam subtilem per illos corpora quælibet pervadentem.

Neque video, qua ratione litem nobis movere possint Adversarii, quorum aliqui ejus subtilitatem non capiunt: at verò si recolantur ea, quæ Contempl. 2. de atomorum exilitate diximus, & alibi de punctis minimis continuum permanentis, tum successivi, apparebit profectò, materiam longè quàm nobis imaginamur, subtiliorem esse. Alii ejus inutilitatem prætendunt: sed immeritò, cum deferendis quaquaversum influxibus sit perquàm idonea, & sicut spiritus subtiliores sunt quasi vita animalis, ita etiam hæc materia eodem munere in mundo fungatur, & sit veluti spiritus oris Domini, à quo omnis procedit virtus, ita ut de ea dici possit: *Spiritus intus alit, totumque infusa per orbem agit molem, & magno se corpore miscet.*

§. VIII.

Argumenta Contraria.

Difficultates plurimas movent Adversarii; præcipuas hinc subjicio. 1. Mercurius eodem modo hæret suspensus in cubiculo clauso, ac in aëre patente: hoc provenire non potest ab aëre incumbente, cum istum sustineant tectum & tabulata. At esto aër non incumbat directè, id tamen non impedit, quo minùs incumbat obliquè: jam diximus fluida eam in partem ferri, quæ premuntur minùs; sic aqua non tantum navim ingreditur superiùs, sed etiam per fundi & laterum rimas: ita in casu nostro aër insinuat januarum ac fenestrarum rimas; mercurius ergo ut descendat, tantum aëris debet cubiculo expellere, quantum est illius descensus: quomodo autem id fieri poterit, nisi vincat aërem à foris resistentem? Sed dices: supponamus cubiculum ita clausum, ut aër internus cum externo communicet nullatenus, quid tunc eveniet? Resp. Mercurium ad solitam altitudinem suspensum iri. Ratio est, quia tunc aër internus virtute sua elastica resistit, nec potest mercurius descendere, quin illum aërem magis comprimat; hoc autem non potest, cum talis mercurii altitudo non majorem vim habeat ad comprimendum, quàm tota aëris columna, à qua aër inferior premebatur,